

ex parte; ergo vel visio Dei debet esse infinita, vel finita Dei visio non erit intuitiva.

R. N. A. et paritatem. Corpus, quod speculum repræsentat, aut locus complectitur, est materiale et constans partibus, et quia speculum non repræsentat corpus, nisi in quantum species recipit, nec locus complectitur, nisi quantum ambiendo commensuratur; nec speculum nec locus finitus infinitum corpus repræsentare et complecti possunt, nisi secundum eas partes, quas dicto modo capiunt: Deus vero est realiter simplex; et quamvis virtualiter sit multiplex, tamen in visione intuitiva attingitur tota ejus essentia et substantia, infinitas autem ejus etiam modo saltem finito et communi et generali perceptione attingitur.

QUERES: An S. Chrysostomus et Theodoretus rejecto de visione Dei intuitiva Græcorum et Armenorum errori præcluserint?

99. Dico I. S. CHRYSOSTOMUS nunquam negavit Deum intuitive videri posse ab intellectui creato elevato.

Prob. I. In hom. de B. Philogonio n. 4. (opp. t. 1. p. 494. E), de Beatis inquit: *Perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verum etiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cætum.* In hom. 3. n. 3. in Epist. ad Philip. (opp. t. 11. p. 217. E): *Justi sive hic, sive ibi cum Rege sunt: atque ibi quidem multo magis propius, non quasi quodam interjecto vestibulo, non per fidem, sed facie ad faciem.* In Paræn. 1. ad Theodor. lapsus n. 41. *Quid dicemus, quando regis cubiculis adaperitis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum nec per ænigma, sed facie ad faciem: non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem.* In homil. 10. in 2. ad Corinth. n. 4. (opp. t. 10. p. 512. C.), *Si cogitatio eorum, qui adhuc vivunt, quamvis obscura sit, tantam suppeditat voluptatem; cogita quantam letitiam nobis allatura sit manifesta ipsa visio.* Similia plura habentur in ejus homiliis in c. 5. Matth. et c. 13. Ep. 1. ad Corinthios.

Prob. II. Quia in homil. 14. (al. 13.) in Joan. et in homiliis quinque, quas de incomprehensibili Dei natura scripsit, et e quibus objectiones omnes decerpuntur, pro scopo habuit duplicem Anomæorum errorem refutare, quorum primo asserebant Deum in hac vita intuitive a se videri, secundo etiam videri comprehensive; unde ejus dicta in ordine ad hunc scopum comparata juxta sanam hermeneuticam accipi oportet.

Conf. Quia universales suas locutiones ipse sæpius restringit, 1º. ad visionem Dei in terris. hom. 14. (al. 13.) in Joan.; 2º. ad visionem in cælis omnimodam, perfectam et exquisitam; homil. de incompreh. nat. Dei; 3º. ad visionem æqualem illi, quam habet Filius et Spiritus S. de Patre, homil. 14. (al. 13.) in Joan.; quibus postremis duabus formulis indicat illam, quam nos comprehensivam appellamus.

100. Nec dicas 1º. S. CHRYS. in homil. 14. in Joan. (al. 13. n. 1. et 2.) multa videtur contraria asserere. Nam 1º. docet, Angelos æque ac Prophetas non vidisse aut videre Dei substantiam. 2º. Angelos nihil nobis enarrare de substantia divina, sed tantum referre, *gloria in excelsis Deo.* 3º. Deum tunc modo visum esse ab Angelis, cum carnem induit. 4º. Verba hæc: *Angeli vident*

faciem Patris: noluit intelligi litteraliter; et illa: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt,* exposuit de imaginatione ad nostrum captum attemperata. 5º. assumpsit duplex probationis genus pro neganda Angelis visione: 1º. quia visio Dei sicut est in se, est comprehensiva: 2º. quia sicut oculus corporeus non potest videre spiritum, sic nec spiritus inferior Deum.

R. Ad 1. D. Angeli æque ac Prophetæ non vident Deum comprehensive C. intuitive *subd.* quatenus Prophetæ non vident Deum in hac vita C. quatenus nec in altera vident N. Ex negata Dei visione intuitiva Prophetis in hac vita refellit *primum*, ex visione comprehensiva Angelis et Prophetis in beatis negata refellit *secundum* Anomæorum errorem.

Ad 2. D. Angeli nihil nobis enarrare de Dei substantia possunt, quod ejus cognoscibilitatem adæquet, et conferri queat cum eis, quæ enarrat Unigenitus, qui est in sinu Patris C. nihil simpliciter et absolute N. Ad prius præstandum necessaria foret comprehensio, ad posterius negandum sufficit intuitiva visio.

Ad 3. D. Angeli modo post Incarnationem viderunt Deum intuitive N. comprehensive *subd.* secundum carnem unitam seu humanitatem assumptam C. secundum Divinitatem N. Angelis comprehensio Dei negatur quoad Divinitatem tam ante quam post ejus Incarnationem; asseritur autem visio intuitiva substantiæ divinæ semper, et comprehensiva humanitatis etiam assumptæ post Incarnationem; quia, ut S. Doctor inquit, qui antea circumscriptibilis non erat, carne fuit circumscriptus.

Ad 4. R. 1º. D. 1º. p. Noluit hæc verba intelligi litteraliter, excludendo visionem per oculos corporeos C. excludendo visionem per intellectum *subd.* visionem comprehensivam C. intuitivam N.

R. 2º. D. 2º. p. Verba illa de imaginatione ad nostrum captum attemperata exposuit, ut negaret modum infinitum cognoscendi, respondentem cognoscibilitati objecti infinitæ C. ut negaret veram cognitionem intuitivam et finitum intelligendi modum N. Secundum aliquam versionem visio Angelorum nomine imaginationis exprimitur, non quasi illa visio esset in se cognitio tantum materialis et phantastica; sed quia si comparetur cum cognitione, quam Deus habet de seipso, æque dici potest imaginatio, ac dum existentia creaturæ confertur cum divina, dicitur nihilum vel umbra.

Ad 5. D. Assumpsit hoc duplex probationis genus pro neganda visione adæquata et comprehensiva C. pro neganda simpliciter intuitiva N. 1º. enim argumentum sic verum est: omnis adæquata visio Dei, ut est in se, est comprehensiva: 2º. autem: sicut oculus corporeus non potest videre spiritum, quia spiritus est extra objectum et rationem objectivam oculi; sic nec substantia inferior potest probe, h. e. comprehensive nosse superiorem et Deum, quia cognitio ejusmodi superiorem adæquans et infinita, est extra subjecti vires et rationem operandi subjectivam.

101. Nec dicas 2º. Idem in homil. 3. de incomprehensibili nat. Dei (n. 3. 5.) alia in contrarium profert. Nam 1º. dicit, Angelos etiam supremos non videre ipsam meram lucem, et sinceram Dei substantiam, sed attemperatum lumen et condescensum ac indulgentiam: 2º. hoc attemperatum lumen vocat, cum Deus non, ut est, se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum

hujus meruit : 3°. tribuit etiam Prophetis similem visionem formæ Dei attemperatæ : 4°. de Angelis enunciat, quod illi ne quidem attemperatum lumen ferre potuerint. 5°. statuit Deum non tantum esse incomprehensibilem, sed etiam invisibilem, imo et inaccessibleem.

R. *Ad 1. D.* Dicit hæc ad faciendam oppositionem visionem comprehensivam ac infinitam inter et visionem intuitivam quidem sed finitam C. ad oppositionem faciendam inter visionem intuitivam et abstractivam N.

Ad 2. D. Et per hoc ipsum exponit, quod angeli non videant divinam substantiam, quantum visibilis est, ac modo infinito seu comprehensive C. quod ne quidem modo finito substantiam divinam intueantur N.

Ad 3. D. Tribuit Prophetis quoad aliqua similem visionem attemperatam C. quoad omnia similem N. Similitudo stat in hoc, quod cognitio Dei data sit Prophetis et Angelis proportionata eorum capacitati et statui : dissimilitudo autem, quod cognitio Angelorum non tantum sit perfectior sed etiam intuitiva, Prophetarum autem imperfectior et non intuitiva. Utrumque indicat S. D. in hom. 3. *supra* cit. n. 3. ubi ait : *Deum incomprehensibilem non pari modo nos atque virtutes novimus, sed quanto illæ puriores sapientioresque sunt natura humana, tanto perfectius norunt et melius* : Item *Quemadmodum lucem radiorum solis non tam cæcus, quam qui videt, esse inaccessibleem novit : sic naturam Dei inaccessibleem non eodem nos novimus modo, quo illæ superæ virtutes et incorporeæ. Quantum enim inter hominem cæcum et videntem discriminis est, tantum illæ a nobis differunt.*

Ad 4. D. Atque hæc sententia statuit Angelos reipsa non frui visione Dei N. Statuit Angelos vel ex reverentia erga Dei majestatem velare faciem suam, ut Propheta innuit, vel ob luminis copiam avertere oculos, ut illum Dei condensum ferre valeant, ut hom. 1. n. 6. Chrys. dicit C.

Ad 5. R. Quamvis his omnibus vocibus tanquam synonymis S. Doctor recte contra *Anomæos* frequenter utatur, tamen incomprehensibilem Deum dicit respectu angeli et hominis, inaccessibleem autem permittit respectu hominis, non angeli ; ideoque *Anomæos* exagitat, quod dicerent sibi Deum esse comprehensibilem, cum tamen, quia homines et in hac vita sunt, nequidem sit illis accessibilis.

402. *Dico II.* Nec THEODORETUS negavit, Deum intuitive videri posse ab intellectu creaturæ elevato.

Prob. In Vita B. Jacobi anachoretæ inquit : *Cum Sanctorum populo habitare cupiens, et cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri.* In vita S. Eusebii : *Ad cursus metam pervenit, et agonothetam cernens, qui remunerationum magnificentia labores superat. Ego vero visione illa frui cupio.* In c. 2. ep. ad Ephes. *Nunc enim bonorum, quæ sperantur, magnitudo est quidem omnino ignota fidelibus : fideles autem vident tanquam in speculo et ænigmate ; per fidem enim ambulant, non per speciem : tunc autem videbunt facie ad faciem.* Atque hæc fidelibus propria sunt ; quæ autem cum infidelibus in die judicii erunt communia, statim adjungit : *Tunc fideles et infideles videbunt naturam eæ nobis assumptam, ab omni creatura adoratam, et Sanctos una regnantes.*

Conf. Quia in dialogis tribus, qui inseribuntur *immutabilis*, et e quibus maxime THEODORETI fides vocatur in suspicionem, ex professo quidem impugnat *Eutychianos*, qui cum unicam assererent in Christo naturam, conse-

quenter etiam putabant, et ex Baruch. 3. 38. probare conabantur divinam apparuisse in terris ac oculis corporeis esse visam : sed captata hic occasione subinde transgreditur ad lacesseos *Anomæos*, qui ipsius adhuc ætate in Syria, ubi Episcopus erat grassabantur : Colligitur id 1°. ex præfatione in dialogos istos, ubi declarat *Eranisten*, quem tanquam interlocutorem Eutychianum inducit, plures errores ex superioribus hæresibus simul consuere : 2°. ex ratione, quam dat, cur angeli non videant Dei substantiam, nempe : *quia nec circumscribi, nec comprehendit, nec mente percipi potest, quæ universa comprehendit* ; hæc autem ad comprehensivam Dei visionem excludendam pertinet : 3°. ex similitudine testimoniorum, quæ profert, ac pleraque omnia conveniunt cum usurpatis a S. CHRYSOSTOMO, quem ut doctorem et magistrum suum colebat et passim sequebatur : 4°. ex eo, quod nisi dicta ejus tanquam opposita *Anomæorum* hæresi accipiantur, erronea sunt ; cum tamen neque a Summis Pontificibus, neque a Concilio Chalc. ubi fidei rationem reddere compulsus est, neque ab Ecclesia erroris nota hic aspersus sit.

403. *Nec dicas* 1°. THEODORETUS in dialogo primo plura docet dogmati nostro opposita ; nam 1. negat simpliciter Dei naturam sub aspectum cadere, visam esse aut videri posse sive ab hominibus sive ab angelis : 2. Asserit naturam Dei visam tantum fuisse ab angelis, quando Verbum est incarnatum ; et hanc angelorum visionem intelligendam esse, ut sumitur visio Prophetarum de Deo : 3. Textibus Scripturæ, præsertim Matth. 18. 10., qui Dei faciem videri ab angelis statuunt, opponit alios textus. 4. Etiam in comment. in ep. 1. ad Tim. c. 6. v. 15. et in ep. 4. ad Cor. c. 13. v. 12. docet lucem et faciem Dei pertinere tantum ad humanitatem Dei, non ad ejus naturam ; adeoque alibi etiam, quam in dialogis contra *Eutychianos* visionem Dei intuitivam negat.

R. N. Ass. Et sicut pleraque cum iis, quæ contra S. CHRYSOSTOMUM objecta sunt, conveniunt, sic eadem fere solutione explicantur. Hinc

Ad 1. D. Negat hæc in sensu tum Eutychianorum tum *Anomæorum* C. in sensu Catholicorum sæpe jam exposito N.

Ad 2. R. 1°. D. 1^{am}. p. Asserit ab Angelis visam intuitive naturam divinam tantum esse post Verbi incarnationem N. comprehensive visam, *subd.* quoad divinitatem C. quoad humanitatem N.

R. 2°. D. 2^{am}. p. Asserit visionem intelligendam, ut visiones Patriarcharum, de Verbo incarnato C. de Deo secundum se, *subd.* quantum ad aliquid C. quoad omnia N. Vult nempe Theodoretus eodem sensu, ac Chrysostomus, Deum non videri facie ad faciem sensibilem ab oculo corporeo, nisi in hominis similitudine, quam vere assumpsit, sicut a Patriarchis et Prophetis visus est in similitudinibus vel adscitis angelorum corporibus ; in quo paritas est, sed non omnimoda, cum Verbum vere caro factum sit, similitudines autem, in quibus a Prophetis videbatur Deus, plerumque imaginariæ. Præterea conveniebant etiam in hoc, quod sicut visio Patriarcharum erat finita, sic et angelorum visio intuitiva tum de Deo secundum se, tum de Deo incarnato finita sit.

Ad 3. D. Textibus Scripturæ, ut abusu Eutychianorum et *Anomæorum* detortis, opponit alios C. ut veris et recte usurpatis N. Cum enim ex texti-

bus Scripturæ de Dei facie aut Deo viso inferrent 1^o. Deum oculis corporeis videri, opponit illud Exodi : *Nemo videbit faciem meam et vivet*; et cum 2^o. inde colligerent, Deum comprehendi, objicit illud Joan. *Deum nemo vidit unquam : Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Unde patet excludi quidem visionem sensibilem et comprehensivam, minime autem intuitivam finitam.

Ad 4. R. Similiter, negari hic visionem illam hæreticorum duplicem, non autem postremam Catholicorum, et hinc simul concludo, non tantum in dialogis, sed alibi etiam hæreticos a THEODORETO fuisse infestatos.

ARTICULUS II.

AN HOMINUM QUISPIAM IN HAC MORTALI VITA MENTIS OCULIS INTUITIVE VIDERIT DEUM?

104. *Nota*. Certum, quod secundum legem ordinariam fieri nequeat, ut homo vitam mortalem agens Deum intuitive videat. Certum, quod absolute et extraordinarie id fieri queat : quin et supponitur tanquam certum, quod anima Christi viatoris propter unionem hypostaticam cum Verbo hujus intuitivæ visionis prærogativa fuerit donata. Quæstio itaque tantum est, an homini puro, actu et de facto, hoc visionis non quidem permanentis sed transeuntis donum concessum sit? Quam licet conjecturando quidam affirmant de S. AUG. ex L. 9. Confess. c. 10., aut de S. Benedicto ex D. BERN. Serm. 9. de divers., n. 4. aut de B. V. ex ratiociniis; tamen ea maxime instituitur de MOYSE ac S. PAULO, pro quibus ex Scriptura et Patribus certatur.

105. *Dico*. Probabilius nemo hominum in vita mortali degens vel ad breve tempus mentis oculis intuitive vidit Deum.

Prob. SCRIPTURA tum V. tum N. T. statuit legem generalem, quod nemo mortalium videat aut viderit Deum, ut patet ex textibus num. 84. laudatis; et communior PP. sententia quascumque Patriarcharum et Prophetarum visiones interpretatur factas esse per *velum, nubem, figuram, similitudinem, conspicabilem materie dispositionem*, vel aliam quæcumque *speciem*; ut liquet ex DIONYS. de Cæl. Hier. c. 4. §. 3., CYR. ALEX. in Joan. L. 1. c. 10., CYR. HIER. Catech. 9. n. 1., EPIPH. in hæres. 70. n. 6. et seqq., BASIL. apud DAMASCEN. in Eclog. Tit. 48., ATHANAS. GREG. NAZ. aliisque apud AUG. ep. 111. (al. 148. c. 2.) PHOEBAD. L. cont. Arian. c. 17. quos recitat L. 7. c. 12. PETAVIUS. Sed vel illa lex generalis ac interpretatio intelligenda tantum est de visione per oculos corporeos, et tunc quidem huc non pertinet; sed nec exceptio et privilegium ab illa lege ac interpretatione, quod adversarii pro *Moyse, Paulo*, vel aliis afferunt, huc spectabit : vel si intelligi etiam possit de visione intellectus seu per oculos mentis, hoc ipso convellit assertum contrarium; ergo.

Conf. Res facti et exceptio a lege communi debet certo probari : sed nec probari sic potest, *Moysem* et *Paulum* exceptos fuisse et Dei substantiam vidisse; et potius ostenditur contrarium. Nam 1^o. qui ex LL. Exod. et Numer. textus afferuntur pro *Moyse*, et ex ep. 2. ad Cor. pro *Paulo*, visionem intuitivam divinæ substantiæ non evincunt, ut ex objectionum solutione patescet.

2^o. Etiam post raptum suum, Paulus 1. ad Tim. 6. sine ulla exceptionis nota universalem hanc propositionem negativam statuit : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*; et Joannes diu post Pauli mortem Evangelium scribens absolute enuntiat : *Deum nemo vidit unquam*, quod neuter sine mendacio aut falsitate facere potuisset, si *Moyse* vel *Paulo* visio Dei intuitiva fuisset concessa. 3^o. Patres etiam plures speciatim *Moysem* excludunt a privilegio visionis intuitivæ. IREN. enim L. 4. cont. hæres. c. 37. (al. 20. n. 10. 11). *Neque Moyse*, inquit, *vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de celestibus viderunt; quæ autem ab ipsis cernebantur, erant similitudines claritatis Domini et prophetiæ futurorum*. ORIG. in Isa. hom. 1. n. 6. *Facies Dei non vidit Isaias, nec Moyse* vidit. TERTUL. L. cont. Prax. c. 14. pluribus momentis ostendit, *Moysem* non vidisse faciem Dei; et L. 4. cont. Marc. c. 22. ejus visionem exponit *de specie hominis, quàm Deus erat gestaturus*.

106. *Obj. I.* *Moyse* videtur concessa fuisse visio Dei intuitiva : Exod. 33. 11. Deum loquitur *Moyse* facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. *Moyse* dicenti v. 13. *Ostende mihi faciem tuam*; et v. 18. *Ostende mihi gloriam tuam*; respondet Deus v. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum*. Numer. 12. Statuit Deus hoc discrimen inter *Moysem* et alios Prophetas, quod his *appareat in visione vel per somnia loquatur* ad eos : illi vero *loquatur ore ad os, et palam nec per ænigmata aut figuras videatur*. Ergo.

R. *Ad prob. 1^{am}*. Phrasis hæc familiare quidem Dei cum *Moyse* colloquium, minime vero Dei visionem exprimit, cum *Moyse* eandem tribuat Israelitis Deut. 5. 4. dicens : *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis*; quamvis c. 4. v. 12. dixisset : *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis : vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis*. Quin, si etiam de visione intelligenda foret hæc verborum formula, non tamen ad Dei substantiam pertineret, sed ad angeli speciem, qui texte S. *Stephano* Act. 7. personam Dei representabat.

Ad prob. 2^{am}. R. Duplex erat petitio *Moyse*; 1^a. Quam per illa verba, *ostende faciem tuam*, Deo proposuit, tum secundum hebraicum, quo legitur *ostende mihi viam tuam*, tum secundum contextum pertinebat ad id, ut Deus dux itineris, prout hæcenus fecerat, esse pergeret; et hanc etiam *Moyse* Deus concessit, v. 14. dicens : *Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi*. 2^a. Quam verbis posterioribus, *ostende mihi gloriam tuam*, exposuerat, huc spectabat, ut manifestaretur sibi divinitas : hanc vero ipsi negavit Dominus verbis illis : *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet*. Verumtamen præter negatam hanc visionem intuitivam, promisit illi per hæc verba : *ostendam omne bonum tibi*, mirabilia tum potentiae tum providentiæ signa, ac novum denique beneficium mox subjecit, dum sese illi manifestavit a tergo; h. e. fulgentissimo quodam lumine, quod divinitatis esset indicium, ut postremo versu expressit : *videbis posteriora mea : faciem autem videre non poteris*.

Ad prob. 3^{am}. R. Discrimen hic non est ratione concessæ *Moyse* visionis intuitivæ, sed ratione modi tantum, quo Deus familiarissime colloquebatur cum *Moyse*, et aperte eum instruebat manifesta legum, rituum et rerum gerendarum significatione; dum reliquis *Prophetis* raro et majestatis sue tenax loqueretur, illis voluntatem suam per somnia, imaginarias similitu-